

L. 5.

11

JUDICIUM SINE PRÆ-
JUDICIO
De
**DIVINATIONI,
BVS AC PRÆDICTIO-
NIBVS TVM ANTIQVIS, TVM
NOSTRI POTISSIMUM
TEMPORIS**

*Ex omnium atatum historiistam sacris
quam propbanis,*

Breviter & ingenuè conformatum

**TOBIA MAGIRO Profess.
Academ.**

*Si licet aliis quod lubet, dicere:
Nobis quod lubet, liceat credere.*

Francofurti Marchionum
Typis HARTMANNIANIS,
Impensis
MARTINI GUTHS/ Bibliopolæ.
ANNO clo Is C XXII.

Magnifico, Consultissimo & excellentissimo Viro,

Dn. FRIDERICO PRUCKMANNO,
Electoratus Brandenburgici Can-
cellario,

Jure consultorum Germaniae Ocello

Literatorum Patrono certissimo

Se & studia

Sua unicè Commendat

Auctor.

DE DIVINATIONIBVS AC PRÆDICTIIONIBVS JUDICIUM.

Quæ duo anxios potissimum habent eos, quibus in publico verba facienda, A. E. quid dicant & qua gratia dicant, harum ego hodie me rerum, qua nescio fortuna, adeo liberum sentio, ut cor in pectus ne emicet quidem, nedum quod ille apud Comicum de suo, ridiculè in serio, artem faciat iudicram. Argumentum enim sive ex redecerpendum, id mihi vel genius Socratis, vel Orphei plectrum, vel Pythagoræ concensus, vel baculus Æsculapij vel Archimedis radius, vel Euphratis horoscopium, vel Circinus Perdicis, vel Vitruvij perpendiculum, aut Thaletis temporum investigatio, aut siderum Atlantis, aut Zeti ponderum, aut numerorum Chrysippi, aut mensurarum Euclidis, vel Aristotelis etiam Syllogismus, quin primum postremumve ex Philosophia universarum pennario rerum & altero quasi mundo, cuius laudi hæc allucet panegyris, ministrare debebat: Sive ex tempore præsenti; tum causæ conversionis & eversiōnis rerum publicarum, tum dilectæ patriæ flammans cheu! incendipm, tum horribiles bellorum parva ex scintillanatorum, dissemination, tragic exitus, & prodigiōsi apparatus, tum juramenta illa volgivaga & desultoria, tum de fortitudine contra imbelliam & ignaviam, de constantia adversus levitatem, de fiducia

ducia adversus persecutionem, de animi tranquillitate contra desperationem prætenturæ ac præstructiones, tum cetera quæ nobis sese tanquam mare obiciunt, in sui rapere considerationem poterant, ex quibus tamen, illis omnino sepositis; ex his præsapientum vis, quibus hodie animis certatim vel minitantur, terrificis, vel blandiuntur delenificis, postulare maximè visa est, quæ de antiquorum quidem facilimenta faceremus, in novorum vero & nostrorum certitudinem Academico more inquireremus. Etenim si juxta id sapientis Senecæ: *Nusquam plura exempla vaticinantium inveniuntur, quam ubi formido mentes religione mixta percussit: certè horno percussæ, certè horno inventa, ut non incongruè ex Aratæo sculo & carmine hue transportetur:*

*Nunc quis non artis scripta ac monumenta volutans
Voices tristificas chartis depromit Etruscis? Et.
Plurima per terras Vates oracula furenti
Pectore diffundunt, tristeis minitantia casus.*

Quod itaq; dum, vobis in prolugium spectandæ solennitatis, facere instituo, vestrarum A. E. aurium operam, ultro mihi obsequenter una, ni fallor, opera reddo, ut qui ita statuo, neminem facile inventiri, qui non, ut novarum auscultator, ita futurum rerum expectator sit avidus, sive cæ eventuræ sint olim, sive eo ferantur à prædictoribus nomine. Non est ergo quod ad priscum sed imperantium in reddinatoria morem, ego perrogem, *auspicio ut mibi sitis,* cum vestra desiderium meum labentia, orationem attentio antecedat, & jam tuin ad augurij mentionem,

SIC 10

nem, faveatis animis & vultu voceq; silentium respondeatis.

Principio quanto illud in certo & extra dubitationis collocare bilancem cœlestium archivæ literarum postulant, gentis cuius se Regem majestate singulari Rex universorum stipulabatur, rem publicam nihil turbarum, variationis, tempestatis fortunæve passam, nisi Vatis voce prænuntia aut omine: tanto majoris est admirationis, à cœlesti illo principatu extratijs, de suis; tanto insolentius, nobis qui novi fæderis sacramento stringimur, de nostris nonnulla hodie casib; præsignificari. Etenim verbum illud Hamosi peculiaris ut gratiæ, sic ad peculiarem est gentem cœloq; cariorem: *Non facit Jehova quicquam, quin secretum suum servis suis Prophetis aperuerit: qui & ipse* favor tamen principio prolixior erat, ubi quan docunq; res efflagitabat, visa, oracula, aut fatidicas somnia impetrabant à Deo sancti, ut Moses, Samuel & alij quos divini codices *Videntes* usurpant: pòst arcta magis, ubi non ex arbitratu licebat vaticinia prolicere, sed afflatus mentes subeunte, Vates monebant, objurgabant aut instruebant concionem, quos inter familiam ductitavere Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel, sanctissima nomina: Ceteri beatæ extorres provinciæ, & spiritorum Dæmonum adoratores, ne quidem digni tanto beneficio videbantur; Nobis vero, præter ea quæ ter Maximus Prophetæ & prophetarum obsignator rāquam fideicommissum, ut vitæ hujus & expectandæ speculum, & suo ore & amanuensium suorum stylo suis reliquit, vix

A 3

sperans

sperandum erat, requirendum aut credendum quidpiam : Nihilominus tamen ut in republica divina, sic & barbaris, sic nostris divinationum plena sunt omnia, eademq; passim genera, nisi quod & his eo plus ra quo ex sequioribus & divino mandato interdictis superstitionis capti sunt.

Ex sacra nostis historia, (cius verò ignorans damnas est,) quomodo Sodomorum vivicomburia Lothus, exitialem terræ inundationem qua planum omne perfundebatur, Noachus: interitum Pharaoni Moses: Jehu, Baasæ Tyranno Israelitarum, extitum: Jahaziel Josaphato victoriam contra Syros: Esaias Cyro monarchiam: Sauli Samuel regni ademptionem: Jeremias populo captivitatem, Haggæus cum ceteris, redditum prædixerit: Ezechiel urbis ruinam in tabula effigiatam dederit: Daniel illam quadruplicem regni ecclesiam ad exortum usq; lapidis angularis & petræ offensionis complexuri faciem, jam auream, nunc argenteam, post æneam, & ferream tandem, coram Nabuchodonosore delinearit: ut Jonathan ex hostium voce ascensum rupis imperante captans omen, cum armigero suo viginti trucidavit, & parenti clarissimæ occasionem victoriæ dedecrit: ut David omne devicti à se Leonis & ursi eretus Cyclopem adortus sit: ut Elisæus victricem contra Syros sagittam, Joas Israelitarum Regi præmonstrarit: Ut iterum Davidi mororum tranquillo aere motus in Palæstinos irruptionis signum dedecrit: ut somnium de pane in Madianis castra devolutio, Gedeonem adversus Madianem inflammârit: Ut

stricto

stricto Dux ense, Hierichuntis expugnandæ rationem Josuæ ostenderit: quæ ex innumeris pauca documento sunt satis, quantum vatibus olim, quantum omnibus, quantum visionibus, portentis & somniis ex vera religione tributum sit. Nec minus supremæ Mentis, omnia & facta & futura comprehendentes & administrantis, inexhaustam sapientiam in eos, quos cavere, declinare, effugere, præscire jubet, amorem ineffabilem: in eos inquam quibus, si tela sunt, hæc prævisa cupit, ne nimis formident, ne impatiens ferant, paternam clementiam: si læta sunt, quò spes & gaudia anticipent sua, deosculandam humitatem: id suaviter lyra succinente Davidica:

Dedit Deus significationem dilectis suis, ut fugiant à facie arcus.

Ad prophetanam si abierimus antiquitatem, quot hic divinationum genera, quam varia, quam superstitionis! Camarina illa siquidem leviter movenda est, de magnis saltē & rem spectantibus publicam, præsensiones, non de jocularijs, non de puerilibus, non de abjectissimis quibusq;, ne (quod inquit Lucianus) pistrinum perinde ac palatium amare videamur, & id quidem quasi per saturam, producamus. Ex antiquissimis Mopsum futura Argonautis prænuntiasse referunt: Helenum Priami filium ex lapide siderite urbis Trojanæ excidium cognovisse, Tzezes, Läocoonta Trojanum, alta voce Græcos in equo durateo latitantes prodidisse, Virgilius, Sostratum Athenensem Xerxis adventum in Græciam præmonuisse, Herodotus testes sunt. Fatidicas mulieres,

res,

res, Alrunas Cimbrī vocabant (quod nomen in no-
strate lingua etiamnum agnoscitis) ex hausto in
craterem captivorum sanguine eventa bellorum va-
ticipatas, Strabo consignavit. Psammeticho cum
Latonæ oraculum, ærcorum virorum subsidio, re-
gnum Ægypti polliceretur, inito is cum Ionibus &
Caribus fædere, illud cæsis regibus occupavit: Cyp-
selus oraculo Delphico confisus Corinthum aggres-
sus & ingressus est: Alexander ab Iove Ammonio
terrarum dominium stipulatus, obtinuit responsum,
verum postilla & imperium. Josephus à Romanis
bello Iudaico captus se vinculis solutum iri à Vespasiano,
constantissime asseruit, sed jam Imperatore:
Diocletiano Druyda mulier coronam imperialem
prædixit, ubi aprum occidisset: Romam ab Hyper-
boreis capiendam Heraclitus & Aristoteles prænun-
tiavere: eam ipsam mundi Dominam Gallis ac Pœ-
nis prædæ futuram Philippus quidam apud Justi-
num: ejus gloriam annos ultra mille ac ducentos
non fore, Vectius augur apud Varronem edocuit,
quibus elapsis ea sanè à Gothis, Vandalis, Francis &
Hunnis misere discerpta & modò non decussa est.
Turcas Hungaria potituros & Polonia, partem etiam
Germania: tum tyrannidem tantam in declive ruitu-
ram: id ex ipsis eorum sacris, Nobilis à Lasco Lega-
tus Constantinopolitanus transscripsit: Mahome-
tem primum illius hydræ caput jam jam moriturum,
elatis decem digitis totidem regni sui centurias edi-
disse creditur, sed creditur. Hispaniolæ incolas ido-
lorum suorum oraculo multo ante tempore, quam

Ame-

Americana am umbram vel somnio concepisset Hispana libido, certiores factos, a barbaris se & religione & libertate antiqua exutum iri, idq; vaticinium numeris illigatum sacerdotes nefastis diebus occentasse, historiae commemorant.

At quæ vis sit, A.E. in omnia vos Sibyllarum antra, ad omnia oraculorum adyta, in augurum & aruspicum collegia, in omnia somniatorum cubilia abducere, atq; sortes, omina, extispicia, symbola omnia demonstrare? siquidem ipsi ad prima rerum cunabula mente recurritis atq; oraculis editis cœlestibus statim divinaculos, engastritas & Euryclitas, damnabili æmulatione, in responsorum levitatem solutos, deprehenditis, imò reprehenditis, quæ in formas tam varias, aut deformitatem potius, ab imbecillitate dicam an infidelitate hominum disjecta, ut muscarum sub Sirio citius quam harum inceas numerum.

Nihil dictum, nihil actum, nihil tentatum, cui non sua auguria, sua omina, sua tripudia, suæ divinationes præmissæ: hæc in scriptis prima, nonnunquam sola, nunquam omissa, idquod clarissimis monumentis testata consignataq; antiquitas ubiq; loquitur.

Veritatem ijs arrogabimus? Veritatem ijs derogabimus? Utrumq; est historiam, oculatum annorum testem in crimen vocare: Sæpe multos, sæpe contrarios responsa exitus habuisse dicamus? At ita nonnunquam habuisse largimur: Hos ex innumereis paucissimos an casu evenisse, mirandumque-

B

non

non esset, otum qui diem jaculatus sit, aliquando collimare, afferamus? nullum insuper omnes in se habere numeros veritatis, obscuritatis tenebris & ambagibus fallaciosis involuta esse omnia, idcirco, ut quodcunq; evenerit, prædictum videatur, etsi ab ipso ignoratum Apolline? an ut canes acerrimi olfactus virtute delitescentem feram peisentiscunt, indagant, venatori produnt, eam nec subodoraturo nec scrutaturo: ita cœlo extorres spiritus, hominibus terrenæ molis gravitate hebetatis, imminentia? hac se arte suos in devotione retinere cives, & verbo unico cum veritate conjuncto, mendaciorum statuminare myriadas: idq; totum oculo divino sapientissima ratione & abstrusissima, quamdiu decreverit, connivente? Poteramus sanè hæc cum sapientiæ non modò sed pietatis filijs in castrum producere singula & adversus vineas & pluteos imogerras gētiles sigillatim intorquere, nisi prævortissent nos qui hanc dudū demoliti sunt arcem, & nos ob viva & spirantia potissimum, præsentem essemus telam exorsi.

Acri, subtili & igneo Vir ingenio, si Belgarum Senecæ credimus, Machiayellus, coætaneis major omnibus, nisi quod dum per commodi semitas intentè ducit principem suum, à regia Virtutis abducit via, currentia cum præteritis copulavit tempora, & ut causam facile confitetur se ignorare; ita rem ipsam non ex antiquis modò sed & novis agnoscit exemplis ait oportere: *omnes magnos motus, quicunq; aut urbi aut regioni evenere, vel à Conjectoribus, vel revelatione aliqua, prodigijs aut cœlestibus signis prædici solitos;* dome-
stico

stico id communis exemplo de Carolo VIII. Gallo-
rum Rege, cuius adventum in Itiam Florentinis,
Savonarola longè ante prænuntiarit, de cuius sanè
Martyris spiritu vaticino & sanctitate Cominæus
plura, quin & ipsi ejus interfectores alij, nō vulgaria
consignarunt: Quam Machiavelli regulam qui hac
ætate, hoc anno infirmam suspicatur, eum in mundo,
in patria, in ædibus toroq; suo esse peregrinum oportet.
Ecquis enim etsi cæcus non audiat, etsi surdus
non videat, etsi utroq; sensu captus non palpitet tamē,
quid hæc dies divinationum, quid præfigiorum,
quid portentorum, & ut tanto crebriori frequentia
quanto novarum continuè rerum feracior est, ap-
portet & accumulet? Quomodo ex cælo alij ejusq; astris
& luminibus, ex vocibus alij atq; facibus ex occulto misis, alij
ex spectris, ex nomenclationibus alij, futura derivent, nonnulli
& gallinaceorum captent auguria, complures veterum vatici-
norum interpretamenta & cudant & interpolent?

In cometam si lubet, tollamus oculos, nostrum
qui orbem ante biennium despexit: proh Deum im-
mensum! quanto ille plures de sese fermè opiniones
quam crines sparsit, quæ tamen in fatales ac ferales
Veterum minas incidere pleræq; in Manilianum il-
lud nos erigentes:

Nunquam futilibus excanduit ignibus aether.

Nunc cædem populis,flammam agris urbibusq;
portendere, nunc tabem spirare atq; virus, nunc edu-
cta velut fæcunditate, uterum terræ retardare, an-
num fruge frustrari, famem ventribus inferre; sed
nec à regnis sceptrisq; abstinere, verum his, illis,

mutationem, interitum, huic illive ex Regibus diem
dicere; eccui regi, eccui regno, rogites? tum plures
sensus quam capita: ad Austriacos alijs & Hispanos,
Romanumq; Veiovem, ad Germanos alijs, & hos
inter, alijs ad Saxonas, ad Palatinos alijs, ex his iterum
eos quos vel metuunt vel oderunt, fulmina declinan-
tibus.

Quibus quid effectum dederint sententiarum
se se confodientium tricuspidibus, Cadmei fratres,
vultis? Κομητοζοσηγας à quibus, indignè dicam an di-
gnè haberentur, in viscera artis famæq; suæ concitâ-
runt: alios etiam intana varietate eò adegerunt, ut
non portenti magis in cometa quam Sole, Luna cete-
risq; sideribusq; collocent, nisi quod hoc eriniti ful-
goris schema non quotidie oculos feriat, ceteroquin
non minus cœli civem, solis lobalem, ætheris partem
esse & partum: Alios provocarunt qui contra gra-
dum figant atq; cometam innoxium lumen decan-
tent, ignorationem verò, novitatis, hanc admiratio-
nis, istam iterum terroris causam esse: *lætum luminis*
omen, funestum caliginis: non quia cometæ adfulgent
sequi mala, sed quia hæc sequuntur cometis assigna-
ri, bello Bohemico in luculentum testem dato, quod
ante Cometam exarserit; quinimò auspicatoribus
sæpius eventis quam sinistris cometam comitem,
temporum annalibus fulciant, planè in ea qua Ves-
pasianus olim sententia, cui cum decumbenti ades-
sent amici, stellamq; in cœlo crinitam apparere nun-
tiarent: ille nequaquam territus, *Crinitam*, inquit,
Rex Partborum timeat: ille enim comatus, ego calvus sum.

Sed .

Sed à Crinitis ad erraticas prospiciamus stellas: quanta hic & quam stupenda ex futura post biennium Saturni & Jovis in Leone, Saturni & Martis ceterarum etiam post triennium in Virgine, magna coniunctione, in fatalibus cœli tabulis descripta oculis prævortunt, nobisq; digito ostendunt! quanto mortales clamore in eorum quæ supra fidem ac formidinem omnem eventura sunt, vel Ægyptijs majora miraculis citant, non orationis flumine ex aggerabo, omnium in manu aut mente sunt minæ plusquam Æacidinæ. Quid verò ad hæc, temporum elenchi? Visam haud absimilem, anno ab orbe redempto supra millesimum centesimo octagesimo sexto omnium planetarum conjugationem, tumq; ab hariolis interminata planè simillima, prodigiorum prodigiosissima, tantam inter cetera fore ventorum vim quæ pulvere sit turres oppletura & sepultura arbores: dein Virum sapientem, Veritatis Doctorem venturum: postidea proditurum ex Elam nescio quem, magnas qui strages editurus sit. Quid subscribunt annorum fasti? *mine falsæ, vana, & quod aiunt, ex pelvi.* Programma quælo intuemini memoratu ac miratu dignum, quod cœli quondam interpres & astrorum contubernialis Joannes David, quasi ē Trophonij antro produxit, suo & collegij Toletani nomine promulgavit & mundi quasi valvis affixit:

Salvete mortales & cavete.

Anni à salutifero ultra millesimum trecentesimi undevigesimi Septembrem cavete: in bunc delata planetarum concursio bella, horrida bella, inauditum annona incendium, tremen-

dam terrae fluctuationem, tanta in ventorum prælia ciebit,
que nulla non loca, nullos non angulos pervulsura sint & quaf-
satura. Abite cuniculos vobis subterraneos effodite, commeatū
triginta dierum inferte: Id nos & collegium Toletanum, id to-
tus philosophorum senatus, id omnes Hispanie, Arabie & Græ-
ciæ Astronomi vident & suadent. Valete mortales & cavete.
Agè quid passi sunt qui vixerunt? Omnes anni illi-
us menses viderunt temperiei & quietis non malæ,
& quid enim facerent? riserunt. Et vos

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Annus ille octogesimus octavus, Vos testor huma-
na pectora! quanto erat terrori universis mortalibus,
himulus tum eram, id memini tamen, ad memoratas
a parentibus eius anni calamitates, ut in opinione
erant hominum, me vitæ pertæsum misere expavis-
se; Hoc ipso scilicet, Joanni Regiomontano stabat

Summa dies, vel ineluctabile fatum:

in quantum tamē pudorem, tot magnorum Virorum
Regiomontani auctoritate ductorum an seducto-
rum, manes hic terror verterit, nostis qui vixistis,
qui non vixistis nostis.

Quis vestrum est A.E. qui cum talia intellexerit,
non adverso conijciat ratiocinio eum, qui adeo me-
tuendus delineatur, annum I C X X I I I. non tristi-
ori nos facie spectaturum atq; ante seculum ille
quingentesimus vicesimus quartus, qui non mino-
ribus terriculamentis obnoxius erat. Conjugaban-
tur cum temporis trium planetarum superiorum cen-
tra, in decima parte piscium, ceteris planetis cum ca-
pite Draconis Aquarium aut pisces, aquatica signa,
occu-

Occupantibus, exinde astrorum Advocati toto terrarum orbe ad orbis conspirare interitum, aquarum eluvionibus terram inundatum iri, tam constanter affirmare, ut non defuerint qui naves sibi ad aquarum perfugia fabricarent. Quos inter primus erat *Auriolus Tolosas*, humani quidem juris consultissimus, verum (Bodini id judicium est) leges qui divinas aut ignoraret, aut irrideret, sempiterni male-memor fœderis quod cum Noacho ab aquis crepto, Deus percussit, juratus etiam, mūdum se hunc nunquam aquis deinceps pessundaturum.

Et annus quidem ille aquarum & imbrum in temperantia laborasse scribitur, nullarum tamen urbium, nullarum immersione regionum infamis audit. Nos & ipsi meliora præoptamus: si metuimus tamen sequiora, non id planetarum aspectu, at pænarum impendentium rigore perterriti metuimus & suppliciter apud eum qui fasces tenet, supremum iudicem, culpam deprecamur.

Nunc de cœlo ad terram: & quid *homines* præfignificant hominibus visamus: ubi id duntaxat; quæ à Carione, ab Hartmanno Durlachio, à Theophrasto Paracelso, Antonio Torquato & alijs ante seculum edita vaticinia, tam varijs hodie à varijs explanatoribus, modis ac nebulis intorqueri, tam dubijs indui cothurnis, ut nusquam conquadret illud Ciceronianum aptius: *sortem ipsam ad sortem referendam*, & *interpretare* *egere interprete*. Quisq; pro favore suo ac fœnore adulatoriè, quo allubitum, rapit fermè & ut Pausonis equum, vertit invertitq;, ut magnam fidei suæ jacturam

ram jam fecerint. Pronuper *Νεότεχνος* quidam (*Κενότεχνος* prope dixeram) ad suum traxit omnia Principem, & aduersus confessionis defæcatoris assertores summo nisu intendit sequiora & infausta omnia, tam profligatæ prodigium pervicaciæ, ut dictam religionem peccatorum mundi pœnam esse sotadicam, inquinatis cructet faucibus. Pythiam scilicet sua quondam ætate Demosthenes ajebat φιλιππιζειν seu a Philippo facere, & qui non illud de oedipodibus hodie dicatur nostratisbus, nisi quod in Ιερειν terminare vocabula non securum amplius?

Sed de ingeniosis hujusmodi ariolis quorum dementiæ thyrsus fibras exagitat, severam, at sanctam Guicciardini singulari candore scriptoris, censuram audite, quem in testimonium cum vocem, ejus nec mutabo, nec interpretis mutilabo verba: ita ille de anno sesquimillesimo sexagesimo, multis combinationibus at nulla ferè vel exigua rerum turba notabili, chronologiam, bræteato sanè lemmate, terminat suam: si (inquit) in sulcis ariolorum predictionibus & in anibz prognosticis (quibus futurorum notitiam se babere jactitant, cum ne instantia quidem recte norint,) creditum esset, nullus ante hunc annus turbatior futurus erat: & expectabantur à nimium credulis mentibus eventa immania, bellum Æærov, morbi insanabiles, pestes lethifera, inauditi terræmotus, fragores, fulmina, tempestatesq; cœli, deniq; (ut uno verbo rem omnem dicamus) malorum ilias in repub. Quod unicum exemplum & ariolorum prestigias, fallaciam & fucum nobis explicat atq; detegit, & Dei optimi M. immensam benignitatem ostendit, qui omnem mundum superum & inferum, uti procreavit,

creavit, ita regit, gubernat ac moderatur: cuius miracula,
judicia, occultissime rationes, humanā omnem superant in-
telligentiam: longè abest, ut aut allucinatione aut ariola-
tione quapiam terrestri mole circumseptus homo eapercipi-
at ac interpretetur. Hoc scilicet Euripideum illud
est judicium, cuius Poëtæ singulos versus singula
testimonia habebat Orator: velle Deum coli modesta
futurorum ignorantia.

Porro ex Sibyllinis est: cum Philippo Amyntæ
filio, Macedonum effulsisse gloriam: cum Philippo
Persei, qui postremus erat, filio eam collapsuram:
id forte quia eventus ratum fecit: ad illam ador-
nata formam & alia: Ut pote antiquum Romano-
rum imperium Augusto Imp. cœpisse: sub Augustulo
primo Italico Cæsare corruisse: Constantinopolis
tanum sub Constantino exortum, sub Constantino ulti-
mo expugnatum: adde: Helenam primum, Hele-
nam ultimum Constantiū peperisse: Germano-
rum regnum cum Carolo M. prominuisse, cum Carolo
V. defecisse: Rodolphum Comitem Habsburgicum
primò majestatis decus in domum Austriacam in-
tulisse: cum Rodolpho illud in obscurum aut decre-
mentum ivisse. At dicant nobis, his qui delenificis
gaudent conjecturis, si prima ultimis ē diametro
contraria insinuant, cur Actæones 4 infelices,
qui partim à canibus, partim ab apri lacerati?
Cur duo illi Attyes, qui illustres fuerunt itidem
ab apri interemti? Cur ambæ Juliæ, mater & filia,
hæc Augusto, altera Marco Agrippæ genita, adul-
terij damnata? Cur duæ Agrippinæ, mater Cali-

C

gulam,

gulam, filia Neronem pepererit? Cur Cæsares
quibus prænomen Caij, ferro ceciderint? Hic simi-
les profecto casus, similia fata: non disparia, non
adversantia: ultima quippe primis atq; prima ulti-
mis infortunio respondent. Harum curiositas
observatiuncularum, non multum mihi abludere
videtur ab ea, qua ducibus olim ad duella descen-
dentibus, ex literis numeralibus quæ in cujusq;
repertæ nomine, omina ducebantur victoriæ, atq;
ita teste Terentiano Mauro erat opinio:

Major numerus qua steterit, favere palmam,
Præsagia lethi minima patere summa:
Sic & Patroclum Hectorea manu perisse,
Sic Hectora tradunt concidisse mox Achilli.

Hectoris nempe nomen referebat mille ducenta
viginti quinq;: Patrocli octingenta septuaginta
duo: Achillis mille ducenta, sex & septuaginta.
Ex eadem cortina illud Mauritiani cuiusdam, qui
Mauritio Cæsarem inseguente, cum solliciti es-
sent admodum multi, quem res habitura exitum
esset, per jocum, bono, socienos jussit esse animo:
Mauritium enim à Carolo superari non posse: ro-
gatus cansam: eandem veteris divinationis fidu-
ciam respondit: nomen enim *Mauritij* initio sta-
tim atq; *Caroli* numerosius esse: Ex joco quem res
approbavit, cur divinaculus noster non, post fa-
ctum scilicet, auguretur, in Pragensi pugna di-
cam, an fuga fieri aliter atq; factum est neutquam
potuisse, cum *Ferdinandus Fridericum* vel litera no-
minis unica, vel si numerum spectes, CCCXCIX
supe-

superarit: evidenter quidem cucullatum illum
è Bavaria Galchancem signo, victoriam Cæsaria-
nis promisisse haud reor, nisi forte quod Furie
sanguinariæ suggestisse aliud è re non erat. In di-
lectu quidem Consules Romani olim, summa ob-
servabant religione, primus ut miles bono fieret
nomine: at in acie inauspicatum nomen Mona-
chus.

Cum aliquando simia Regis Molosorum es-
vertisset urnam & sortes disturbasset, sacerdos Jo-
vis Dodonæi Lacedæmonios de salute, non de vi-
ctoria cogitare jubebat: id jubent hodie pars ma-
xima, dissipatis tabulis, Palatinum Principem: at
Coriarius quidam ex figuris, ex clangoribus, ex nu-
meris, ex spectris iterum iterumq; recurrentibus
& salutem spondet & victoriam, nec spondet sal-
tem, verum per sacra omnia pollicetur. Non de-
miror equidem Coriarium inter Prophetas, dum
Simonis Coriarij pietatem singulariam & hospita-
litatem recordor, idq; certū habeo, cœlestis afflatū
spiritus officinarum non nosse discrimina: sed cum
exspectatio spei suspensos fatigarit perquam mul-
tos, illi tamen sancte juratum tam certe non eveni-
re conternantur: siquidem viginti & unam à ca-
pta, aut relicta, ut alijs loqui libet, metropoli Bo-
hemica, anxiè putârunt, sed eccere ad huc audias
ex illis querelam:

Hostis habet muros, ruit alto à culmine regnum!

Pacem D. Imperatori pacem principibus:
Feliciter Palatino, felicissimè sanctis acclama-

G 2

mus

mus omnibus, at in limine circumscripsi vix est ut attendamus in residua talium oracula, sapienter enim iterum Euripides:

Bene qui conjicit, vatem hunc perbibeto optimum.

Quæ dicta sunt hactenus A. E. nihil ad hoc quod sequitur, quo quidem sol non vedit portentum maius: artem, audite, artem dari qua maximarum, minimarum, rerum omnium, ad certa puncta, præscribantur fata & occasus: qui verò? Rerum nominibus in numeros, angulos rotasve reductis, ex quibus ea emergere, scilicet, oportet. Hac disciplina & mundi ruinæ jam fixa hora est, post ætatem unam irrupturæ: & vobis Lipsense, Witebergense Lycea, & tibi O Minervium hoc Marchicum, tibi hæc cathedra, hæc vobis mænia, hæc capita vobis, vobis, inquam, nominatim emortualis impactus obeliscus, quem uti fortè nec scivisti omnes, ita nec metuere potuisti, nos cum ubi in anno hærere videmus præterito, gratulamur sane vobis, gratulamur nobis, idq; in sinu gaudemus: quod hos

*Non fixit adamantinos
Nostris verticibus dira necessitas
Clavos.*

*Oramusq; imposterum Pā-
pinij verbis:*

Uit mens augurio laudetur inani.

Nimium vos oratio mea studiosos habet, A. E. & ultra votum deditos: quonam quæso diligentiā vestram spectaculo demulcebo, quo dimittam oblectamento? Gallos fortè gallinaceos Tonforis

foris Midæ & Calliæ, pennis ac rostro dimicantes,
quos ad animandum Iphicratem Duceam, Socrates
producebat, intueri erat volupe: aut gallorum il-
lo certamine, quod tanquam residuum de Persis de-
victis trophyum, Themistoclis instituto, quotan-
nis in Atheniensium theatro dabatur, oculos pa-
scere: Quin Butojum & Palatinum par Gallorum
personatorum, nuperum in Silesia ludum, spectan-
dum resumite: sed dicto id citius, facitis: en ut ille
corpulentior bellator potius quam animosior huic pertundit,
deplumat, sternit, fugat, & in angulo ultimum quasi balans
tem spiritum relinquit, ut tanquam Victor, voce gestu, plau-
su, fastum prodit insolentia: sed en vicissim, ut qui modò
latitabat, & alto silentio vindictam meditabatur, ut postli-
minio redivivus erumpit post vulnera, ut in elatam hostis
cristam, impetus fertur, ut jugulum petit, ut quoquo versus
fleclit seminecem, trabit rapit; ut rostrum collo infixum non
revocat, antequam strangulatus ille perduellis nec hiscat
amplius, ut tandem maturius decantat opinacion, & sua
Marti Patri gesta modulando renuntiat. Non absimilis
fermè significatio paulò ante Leuctricam calamiti-
tatem data est, ubi apud Lebadiam Trophonio re
divina facta, cum galli gallinaceico in loco sic assi-
due canerent, ut nihil intermitterent, augures di-
xisse Bœotios memorant, Thebanorum esse victo-
riam contra Spartias, propterea quod avis illa victæ
sileret, caneret si viciisset: Ad quod, magnum, inquit Ci-
cero, ostentum, quasi pisces, non galli cecinerint: & nos
sane ad duellum Sileiacum: magnum portentum,

quasi lapides, non galli dimicarint! suo tamen vivant, hunc qui dederunt ludum omne, non indigni fortassis quibus Gallus aut Leo aliquis rostrum aut unguem infigat. Quanto vero Hectorum illud præstantius augurium!

Eis οἰωνὸς ἀριστος ἀμύνεσθ τεξὶ πάτεντ:

Una avis optima, propatria pugnare tuenda.

Venuste, ut omnia, Poëta Venusinus:

Ut mala quem scabies aut morbus regius urget,

Aut fanaticus error & iracunda Diana,

Vesanus tetigisse timent:

sic ego novos Vates, genus hominum irritabile missos itaq; faciamus eos, postquam prædictiones eorum & omina, vetera, nova, sacra, prophana, vana delibavimus: è quibus autoritatis majestas & eventus certitudo, omnium prognostarum infallibilis arbitra, solis fidem sacrī depositū indubitatam: cetera, flexiloqua ambiguitas, obscuritas aut callida aut invida, sublata hominum & temporum definitione, discidium inter ea irre conciliabile, mira eventorum discrepantia, adeo nobis suspecta, effrenis verò in fabrefaciendo ex paucissimis exemplis infinitas regulas, tum eorum maximè temeritas, diei qui diem decretorij ausint indigitare, quem tamen & cœli satellites & Filius hominis ignorant, aut hic profectò dissimulat, quem non scire nos Iudex at exspectare voluit, adeo invisa reddit, ut consiperet tam confusa, tam effutire incerta, tam superstitionis colere imbecillorum & penè fanaticorum esse animorum censemus, qui urbem pietatis se prode-

prodere non vident, castella dum satagunt defen-
dere. Ex omnibus verò nauci non habeamus

Marsos illos Augures,
Non vicanos haruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos Conjectores, non interpretes somniorum.
Non enim sunt ij (æstimio Tulliano) aut scientia aut
arte divini,
Sed superstitionis vates impudentesq; barioli,
Aut inertes aut insani, aut quibus egestas imperat,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

Nunc nisi tinnitus aurium frustra est, talibus
apud vos A. A. clanculum cogitationibus vapula-
mus: Ecquis ille nobis redivivus Carneades aut
Panætius? ecquæ ista calliditas, res vetustate ro-
bustas calumniando velle prevertere! ecquod illud
Critici prodigium, præsensiones futurorum,
prognostica, prodigia abnegare, cum quibus ratio-
visq; naturæ, eventa, populi, nationes, sancti, pro-
phani, faciunt, summi etiam Philosophi, sapientissi-
mi viri qui respublicas cōstituerunt, qui urbes cō-
diderunt, quæ cum mundo nata, cum mundo des-
tuta? Itane verò præter opinionis nostræ sensum ac
meritum? Largimur prodigia, at manu, non sacco; largi-
mur inquam, prodigia, at copiam, levitatem, vanitatem,
malitiam penes eal longè majorem, detestamur; facere quæ
non sunt & quæ sunt, non fateri, quæ fortè sunt, eorum inter-
pretamenta ignorare, fingere, contortuplicare ex verbis &
versibus, quales olim (ut cum Ennio loquar) Fauni va-
tesq; canebant: prodigia extra se potius quam domi,
quam in gremio quarere, id verò suam prodigijs imminutum

ire



ire auctoritatem & existimationem causamur. O tantum verò tot prodigiorum, tot ostensorum, tot prophetarum hodie natorum examen, quantum nullo uuquam observatum seculo. O verò hunc annum, novarum rerum & prodigiorum novorum feraçissimum, immane prodigium! Quod ut gemitu potius quām verbis attester, non in cœlum vos deduco cum ijs qui quid Juno Jovi in aurem, profidentur, quamobrem & priscum illud meritò audiunt: quod est ante pedes nemo spectat, cœli scrutantur plaga: non ad libera nomina, non ad omina lubrica; in animum migrate vestrum, in vos descendite, o mortales, ex consilijs ex moribus factisq; vestris expromite prodigia. Ita nos cum ijs qui ubi ratio momentorū cernitur, deficiuli non sunt, ita semper existimavimus, ut in seminibus vis inest earum rerum quæ ex ijs prognuntur, sic in causis, conditas esse res futuras, quas esse futuras, ipsa prudentis ratio præsagiat. Atq; ut ij qui Solis & Lunæ reliquorumq; siderum ortus, obitus motusq; cognōrunt, quo quidq; tempore eorum futurum sit, multo ante prædicunt: sic qui cursum rerum, eventorumq; consequentiam, diuturnitatē pertractata notaverunt, aut semper, aut si id difficile est, plerumq;, quod si ne id quidem conceditur, nonnunquam certe quid futurum sit, intelligere: & tum præcipue ubi ante oculos inequitant causæ eæq; portentosæ, non nisi portentosa secutra, si non sigillatim, at universim, asseverare, tam sine errore, quam illi qui metā ante oculos habent, conijcientes. Hæc ad nostra: A pie-
tatis

tatis æquilibrio divaricatum esse penitus hinc ad gentilium superstitionem, illinc ad Cyclopicum sacrorum contemnum, *anno prodigium?* Bella sacra gerere sine sacris, sine Deo, sine pietate, sine disciplina, *anno portentum?* Cervos sine Leonibus in caiem educere, Leones in cervos transformari *anno inusitatum?* juramentis ut tesseris ludi proterius ac illo factum ævo, *nonne ostentum?* Assistere hosti contra sanguinem, contra fidem, *nonne id monstrum?* Quibuscum una ad Christum, ad cœlos itur via, eos in Sarracenorū & Mahometanorū collocare navi, *anno horrendum?* Telum porrigere Antichristo, quo per latus alterius tuum ipsius transverberet *anno luctuosum?* Pacis angelos in Bellonarios mutatos, *anno funestum?* Unius regni sine rege, reges tamen esse tres, *anno inauspicatum?* Non id credi amplius, rem agi nostram ubi paries ardet proximus, *anno incredibile?* Capita uno ictu multa secare velle, *anno monströsè presumtuosum?* Hostem profugum minorem capto, minorem cæso habere, nonne iterum (verba, nec sine prodigo, desunt) *prodigium?* Fædera quæ mundum terrebant, mundo de repente in ludibrium versa, *anno prodigium?* Eò rem versam ut Oriens occidenti in meditullio Germaniae videatur occursura, *anno deplorandum?* Plus gratiæ ab hoste, à barbaro sperari, desiderari, quam à Rege, à Germano, *anno miserrimum?* Classicum toto exaudiri orbe, *nonne prodigium?* Plena prodigiorum, plena portentorum omnia, que cerni à singulis, sperni ab universis maximum mea sententia *prodigium.*

D

Talia

Talia & tanta quæ portendant, quæ ostendant, scire desideratis? Quæ olim, ubi antecedebant. Causis non mutatis mutari eventa, consilijs non mutatis mutari facta, hominibus non mutatis mutari fata credatis? Id quod nunc prolixius non persequor, ne ex favore vos in tedium coniiciam, quos video hæc ipsa tacentes ad Polybios, Thucydidas, Livios, Tacitos, Thuanosq; vestros tanquam ad Apollines referret ego ad oraculum omni fide majus religo unde petere licebit, quod ex Vate ac vase impuro verax Numen depromsit: *Non intuetur Iehovæ iniquitatem in Iahakobo, nec aspicit perversitatem in Israële: ideoq; non est incantatio contra Iahakobum, neg; divinatio contra Israëlem.* Quin tandem hic vaticinari desino, hæc quæ dixi in sacram discerniculi vestri velut urnam deponens, prorumpentemq; styli impetum, numerorum velut religione sufflamo:

Panicus ecquis agit malè pectora terror & error,
Prodigia ut totus tremat & fremat undiq; mundus?
Ad puteal, Cœlum & coelestia cominus astra
Crine trahunt, barbam nemo non vellit olympi.
Orbes lege, plani, certa, connubia tractant,
Tum mala parturiunt terræ infortunia; mantes
Neve unum sapiunt; Thuscis sua civibus Aruns
Et Thyodamas sua sensa suis, contraria sensa
Explicat, hæc mecum partitur Apollo futura
Alter & alter ait: Volucrum certamina Martis
Hic censet, linguam geniorum is cernit & audit,
Hic numeros & puncta putat: sœva ille minatur,

Hic

Hic gaudere jubet; nunquam discrimina vatum
Tanta, nec annona credo fuit auctior unquam.
Quin tandem, ô mundi crepitacula, parcite cœlo
Innocuo, meritis stellarum parcite, mundo
Parcite jam dubio, vestræ quin parcite famæ.
Currite ad antiquos potius, pia pectora, Vates,
Isti afflante Deo sine fraude oracula fundunt.
Culpa domi est, runcate animis elemēta malorum,
Nam quia fas versum atq; nefas, tot bella per orbē,
Tot scelerum facies; sic mores fata sequuntur.
Mens pia te committe Deo, nec prospera pectus
Exhilarent nimium frustra, nec tristia frangant;
Signa ferente Deo sequitor, nec in æthere Martem,
Nec pedibus venerare fugacibus; Optima, Virtus,
Auspicia, atq; Deus: cum hoc Numine & omne
pugna,
Pensabit tristes felix victoria questus.
Overna ô hyemis pensa Concordia questus!
At tu adamanteis Discordia priva catenis
Æternos habeas frenos in carcere, vincta.

D. m. April. ANNO M. DC. XXI.

F I N I S.



MLB

Af 5688




St

70 17

W





FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SINE PRÆ-
CIO
ATIONI,
ÆDICTIO-
ANTIQUIS, TVM
TISSIMUM
ORIS
*historiistam sacris
obanis,*
conformatum
PRO Profess.
em,
ubet, dicere:
iceat credere.
rctionum
ANNIANIS,
8/ Bibliopolæ.
C XXII.